

ATLANTIS  
GEOGRAPHIA  
NOVA  
Totius Mundi.  
*Authore*  
Gerardo Mercatore Ru:  
pelmundano. Illustris. Du:  
cis Juliae &c Cosmographo  
Duyburgi Cluorum

PTOLEMAEVS

MARINVS

Handwritten text on a small rectangular label, possibly a library or archival mark, located in the center of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to consist of several lines of characters.

## AMICO LECTORI.



Pfferimus nunc tandem candide Lector Secundam partem Atlantis, primum noue Geographiae tomum, videlicet septentrionalium Europae terrarum descriptionem, à Gerardo Mercatore patre, pie memoriae inchoatum, & à me ad finem perductum: ut in ea, qua optarem, perfectione. Inscriptiones singularum tabularum politici status ordinem continentes D. Bernardo Furmerio Leonardienfi, I. C. debemus; qui eas ex Richardo Stanbursto, Guilielmo Candeno, Dauide Chytræo & alijs nostri temporis scriptoribus, seruatatis authorum verbis aut modice interpolatis, bona fide collegit; & nobiscum ingenuè communicauit. Quod autem in tabulis adendis non rectum semper ordinem secuti sumus, ut qui Galliam, Germaniam, Italiam & Græciam prius, quam hasce, quæ primum locum obtinent, in publicum prodire iusserimus. Id certe non casu, sed consilio inenitabilis necessitatis factum est, ut ea ratione & sumptibus superesse, & reipublice consulere tabulis, maxime hoc tempore necessarijs, possemus: quemadmodum etiam Pater in sua præfatione ad Principem Iuliacensem, Lectorem admonuit. Quia autem singule, quæ ædicæ sunt partes in se sunt perfectæ, ita ut totius orbis descriptione, quam molimur, absoluta, facile ynaquæq; in suum locum & ordinem redigi possit, non puto quenquam fore tam inhumanum, qui hoc factum nostrum, quod suasit necessitas, carpere malignè uolet. Hoc autem beneuolum Lectorem rogatum uelim, ut quæ generaliter præmisimus, ea hic repetere ne cogamur, se eo remitti ne ægrè ferat. Ego uero iam tandem bonum & diu à me optatum initium nactus, posthac ordinem rectum non intermittam, sed Septentrionalibus emissis, secundum Noue Geographiae tomum, id est, Hispaniæ descriptionem accuratam aggrediar, inde ad Africam, Asiam, Americam, & si aperiat, uti spes est, ad tertiam continentem, quæ Magellanica & terra Australis dicitur, me accingam, & quod in hisce omnibus Gerardus Mercator Pater pie memoriae inchoatum reliquit (ut sunt plerâq; omnia) summo studio & industria pro virili, Deo conatibus aspirante, ad finem destinatum feliciter perducam. Interim ut me suis itinerum obseruationibus & terrarum mariumq; lustrationibus docti & Geographiæ studiosi inuare uelint etiam atq; etiam obnixè rogo, meq; accepti beneficij non immemorem fore religiosè & sanctè spondeo. Vale Lector & fruire nostris Laboribus.

Tui studiosissimus

Rumoldus Mercator.

AMICO LECTORI

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint text at the bottom of the page, possibly a signature or publisher information.



# ORBIS TERRAE TYPVS.


**M** ex naturæ necessitate ordo semper requirat generalia particularibus antepone, totumque parti, ad maiorem oblatæ rei intelligentiam: hac eadem & ego deuiñctis lege huic primo nostræ Geographiæ ac Septentrionalium terrarum tomo, vniuersalem orbis terræ typum, eiusque quatuor partes, Europam, Africam, Asiam & Americam, quo felicius remi prosequar, præponere debui: & singulis quoque deinceps tomis consequentibus, vt is etiam perfectum semper habeat opus, ac totius vniuersi descriptionem, nec hac vtili speculatione priuetur, qui vel suæ tantum patriæ delineationem sibi comparauerit. Iucunda etenim est & maximo opere necessaria generalium contemplatio, ei qui vel minimam mundi & naturalium rerum cognitionem habere cupit. Si enim libeat considerare, quis solis ortus vel occasus, quæ causa æstatis vel hyemis, vnde inæqualitas dierum & noctium existat, quid denique & quo in loco natum, propagatum, actum, gestum, mutatum & conuersum iam inde à rerum conditarum primordio fuerit id omne certe non aliunde melius, quam ex harum quinque tabularum adiunctione sine omni periculo & honesta cum animi voluptate didiceris. Et quemadmodum nulli, quantumuis amplam habitationem nacto, sufficit, perspectas habere suarum ædium partes, vt sunt atrium, cella vinaria & penaria, culina, triclinium, cænaculum, cubiculum, conclaue, musæum. quo iis commode vti possit, sed etiam in qua vrbs parte & platea, domus eius sita sit, compertum ipsi esse necessariam & commodum est, vt hinc cognoscat statim, si in ciuitate tumultus vel incendium oriatur, quam prope vel procul à periculo absit. Sic non minus iucundum vel necessarium nosse, qua in orbis parte habites, quos populos vicinos aut remotiores habeas, vt grauantibus belli calamitatibus, quo metu, quauè animi tranquillitate vti liceat, scire queas. Denique cum Cosmographia sit lumen totius tam ecclesiasticæ quam politicæ historiæ, & plus ex ea discat ociosus spectator, quàm ex longo molesto & sumptuoso labore peregrinator, qui crebro cælum tantum, non autem animam mutat: parum utilitatis ex ea capias, si tabulis particularibus generales non adiunxeris. Sunt autem hæ generales tabulæ collectæ ex magna orbis terræ descriptione (cuius etiam initium longitudinis, vel primi meridiani positionem in singulis sequuti sumus) Et ex magna Europa mea quas Duisburgi edidi. Et quamuis per omnia non respondeant his postremis tabulis geographicis nostris, tum in gradibus longitudinis, tum in gradibus latitudinis, differentia tamen illa tam est exigua, in tam generalibus descriptionibus, vt vix discerni queat. Finito autem opere (Deo volente) dabimus perfectiores & cum toto opere magis conuenientes, quas etiam separatiim excudemus, vt præmissarum loco inseri possint si opus sit, nec emptores fraudentur. Tu interim Lector vale & frue, ac huius tuæ habitationis ac tibi ad tempus tantum concessæ gloriæ cum Poeta Buchananano diligenter considera, qui sic eam cælestibus comparat, vt animos terrestribus ac rebus hifce caducis immerfos extrahat, & ad altiora ac æterna viam ostendat.

*Percipias rerum sit quantula portio, verbis  
Quam nos magnificis in regna superba secamus  
Partimur ferro, mercamur sanguine fuso  
Ducimus exigua gleba de parte triumphos.  
Illa etenim moles per se spectata scorsim,  
Magna quidem: si cum stellati regmine cali  
Componas puncti instar erit, vel seminis, vnde  
Condidit innumeros senior Gargetus orbes.  
Hac illa est hominum sedes, hac illa strarum  
Et volucrum domus: hoc angusto è carcere quantum  
Surripit Oceani terra circumfluis humor,  
Quisq; per Herculeæ irrumpens diuortia metæ,  
Europam Lybicis latè se iungit ab oris?  
Adde huc claustra Arabum, quæq; ardent aquora  
Hyrcanos: huc adde lacus laxasq; paludes, (cæpos*

*Et que præcipiti labeficiant flumina montes  
Vertice, vel pigris stagnant immota lacunis.  
Dumq; hac virapiunt, hac orbem gurgite mergunt,  
Cond'ur exigua sub aquis pars maxima terra.  
Quod super est, magno velut insula parua profundo  
Innatat: hac etiam quantum vel squaler arenis?  
Vel tumer in vastos sine fruge, sine arbore montes?  
Vel nimis ardet flammis? vel frigore torpet?  
Vel iacet humano indocilis mansuere culta,  
Vel fecunda malis animantum in sinera succis?  
O pudor, ô stolidi præceps vesania voti?  
Quantula pars rerum est, in qua se gloria tollit,  
Ira fremis, metus exanimat, dolor vrit, egestas  
Cogit opes ferro, insidus flamma atque veneno?  
Scilicet & trepido ferment humana tumultu.*

# ORBIS TERRAE COMPENDIOSA DESCRIPTIO

Quam ex Magna Vniuersali Gerardi Mercatoris Domino Richardo Gartho, Geographiæ ac ceterarum bonarum artium amatori ac fautori summo, in veteris amicitie ac familiaritatis memoriâ Rumoldus Mercator fieri curabat A. M. D. Lxxxvii.



## DE MVNDI CREATIONE ac constitutione brevis instructio.

Studiosus Geographiæ ante omnia consideret mundi creationem hoc modo. Deus constituto puncto, quod nunc mundi centrum est, rursus se quiete per aquam in istam liquidam informem et ens, quæ chaos uocant, illi eam iniecit, excitatoq; uehementi spiritu eam agitauit, agitando crassiora grauiorâq; disiecit, que centro se ad æquilibrium applicantia, terram ac mare in unum corpus figuræ sphericæ dederunt, cuius centrû punctus ille qui sedes est grauium existit, supra hoc corpus ut leuiora et nobiliora queq; ita superior em locum obtinuerunt, lucidâq; materiam globos paulatim collecta, lunam, solem, stellâq; reddidit, que ratione primi mobilis, supremi inquam celi super polis æquinoctialis sue mundi ab ortu in occasum apertur, noctem diemq; diuidentes, at super alijs polis, æclipse uidelicet, proprio motu ab occasu in ortum, alie citius alie tardius circumuoluntur. Ut autem terra habitationi animalium accommoda fieret, spiritus ille quo placuit Deo undas in altum attollens, alibi montes et altiores terre aream congestit et solidauit, alibi cauernas et sinus effecit, in quos fluxilis aqua descenderet, et quo in æquilibrio penderet tota machina, nostre continentis que Asia, Africam et Europam comprehendit alteram quam Americam siue nouam Indiam uocant ex opposito obiecit, et quia hæc due continentis pro maxima parte supra æquinoctialem uersus polis arcticum sunt sitæ, ideo his sub polo antarctico tertiam continentem opposuit, maribus undiq; inter se communicantibus, ut tota terre marisq; machina undiq; æquilibri esset et consisteret, omnesq; partes ex quous regione adnauigabiles redderentur. Hæc obiter ex Patri mei in suam Cosmographiam lucubratiõibus annotare uolui, ut maturus orbis speculatione imbueretur. Lector, et ad altiora eius conditi mysteria aditum nanciscatur.

huiusmodi spheræ corporis conuexam superficiem contemplatur Geographiæ studiosus, et is illud subiicit et pro illorum situ uaria ipsi accidentia contingere obseruet, que ratione circulorum, quibus astrorum motus, distantie et tempora determinantur, illi obueniant. Sunt autem circuli ad Geographiam cogniti necessarii, æquinoctialis illiq; Paralleli siue æqui distanties, et Meridiani. Porro quia hi circuli in plano non eodem modo quo in spherâ exprimi possunt, quod spheræ superficies in planum seruata eadẽ partium adinuicem habitudine depinginequeat, sciet lector nos eam complandæ spheræ rationem secutos esse, quæ Gemma Frisius in suo planispherio aduenit, que omnium longe optima est. Et si enim gradus à centro uersus circumferentiam crescant, uti in gradibus æquinoctialis uidet, tamen latitudinis longitudinisq; gradus in eadem à centro distantia eandem adinuicem proportionem seruant, quam in spherâ, et quadranguli inter duos proximos parallelos duosq; meridianos retriangulum figuram habent, quemadmodum in spherâ sita ut regiones undiq; omnes natiuum figurâ obtineant, sine omni tortuosa distractione, et ex quo etiam uersus exteriora magnitudine, propter graduum longitudinis latitudinisq; incrementum, quod dixi, ex quo etiam fit ut paralleli, qui in spherâ æquatoris sunt æquidistantes, hic circularis apparent, si æquator sit recta linea, per medium hemispherij media inter utrumq; polum distantia ducta, æque diuiditur in 180. gradus, quippe dimidium tantum æquinoctialis in uno circulo dimidium alterum in altero continetur, quia dimidium totius spheræ superficiem tantum in uno circulo comprehendit potest, nequaquã tota, ita uno circulo totam ueteribus cognitam continentem comprehendimus nimirum Europam, Asiam et Africam, Nouum autem orbem siue Indiam nouam altero circulo, Continentem interim australem in utrumq; circulum incidente. Dicitur autem æquinoctialis circulus ab æquinoctio, quod sol in eum perueniens efficit, quod bis in anno contingit, circa 21. diem Martij, et 24. Septembris, Sol

enim super polis zodiaci proprio motu, anno uno et lypicam permeat oblique æquinoctialem secans et ad 23. cum dimidio gradus ab illo uersus utrumq; polum recedens, ubi tropicus Canceri et Capricorni notantur. Meridiani sunt circuli per æquinoctialis sectionem quamuis et polos mundi descripti, ideo Meridiani dicti, quod in illo constituto sole merides fit omnibus qui sub eodem in eodem hemispherio duobus polis terminato habitant. Nunc quid hi circuli mutationis que accidit in regionibus et diuersis spheræ partes asserant, audi. Meridiani longitudinem locorum et longitudinis siue horarum differentiam duorum quous umbel locorum indicant. Constituerunt autem Geographi initium longitudinum in meridiano qui per occidentalisissimam infulam Canariarum ducitur, et inde uersus orientem longitudinem computant, quia proprius astrorum motus per quem longitudines locorum obseruantur, ab occasu in ortum tendit. Differentia autem longitudinum duorum locorum, ex distantia meridianorum utriusq; que in æquinoctiali patet, sic cognoscitur. Ut si Meridiani illorum 30. gradibus in æquatore à se mutuo distent, erit differentia longitudinis eorum 30. graduum, et duarum horarum differentia, ita ut cum in occidentaliore fuerit hora decima, in orientali erit duodecima, duabus enim horis sol ab orientaliore meridiano peruenit ad occidentaliore meridiano motu diurno, etenim 24. horis totum globum terræ ambit. Præterea diuiduntur meridiani in 300. gradus, quemadmodum æquinoctialis, et numerantur ab æquinoctiali utrimque ad polum 90. gradus, qui uersus polum Arcticum designant latitudinem boream, uersus Antarcticum uero meridionalem, et quot quot in eodem meridiano eodemq; hemispherio polis terminato sunt loca diuersæ latitudinis, eandem semper eodem momento horam numerant, ut cum unus computat horam 8. cum dimidia, reliqui omnes tantundem numerant. Paralleli item circuli [quos minores uocant quia eorum planities non per centrum mundi transt] à Meridiani gradibus

designantur iuxta eorum latitudinem, sic tropicus duo, Canceri et Capricorni, gradum latitudinis 23. cum dimidio in meridiano omnibus occupant, Arcticus autem et Antarcticus circuli 60. cum dimidio, qui eorum poli zonas quinq; comprehendunt, inter duos tropicos sitam, torridam uocant, quod sol perpetuo supra eam uersans omnia ibi torreat, et in tresum calorem adferat, due inter tropicos et Arcticum Antarcticumq; temperatae dicuntur, quod medio modum inter calidissimam et frigidissimam se habent, relique intra Arcticum unam, et intra Antarcticum altera frigida sunt, ut pote à sole remotissime. Rursum quia in diuersa latitudine etiam diuersa sit quantitas dies cuiusq; diuersionis unius uersam latitudinem ab æquinoctiali ad poli usq; per certos aliquot Parallelos, in quibus primus latitudinis notat in qua maxima dies maximaq; nox super perpetuam equalitatem, que est in æquinoctiali quadrante unius horæ crescit, secundum illam in qua dimidia hora, tertius in qua tribus quadrantibus et sic deinceps donec parallelorum uicinas per semihoras tantum differentias considerat, tandem etiam per horas integras, dies, hebdomedas, menses, ita ut sub polo unus tantum dies unaq; nox totum annum ementiantur. Inter hos parallelos constituerunt Veteres quinq; spatia que climata appellauerunt, primum à tertio parallelo ad quintum usq; secundum hinc ad 7. tertium ad 9. quartum ad 11. quintum ad 13. Fluctuq; putabant orbem habitari, ulterius non propter intensum frigus, ab æquinoctiali etiam usque ad tertium utrimq; parallelum quod est medium torridæ zone, propter nimium æstum inhabitabilem crediderunt, posteriores tria climata uersus polum addiderunt, at tandem inuentum est totam undique terram habitabilem esse, et sub æquinoctiali temperatiorem opinionem calorem esse, propter breuiter Solis præsentiam, ut qui perpetuo 22. tantum horis supra horizontem manet, in frigidissima autem zona propter longissimos dies, æstus et calidiores opinionem æstus esse noctisq; propter uentorum raritatem ac debilitatem minus infrigidari. Vale et fructe.

